



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

SS. Galation Et Episteme MM. 5. Novembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

dicavit, nec Sponsam prius admisit, quam suum & ipsa caelo despondisset. Et placuere ita hi Numini, ut abstinere jam non potuerit manum, sed ex his EMERICVM beatam morte decerptum in sua rosaria transtulerit. Eo enim ferri Eusebius Episcopus vidit. Invidetur quisquis adhuc cum vento, cum aestu, cum hyeme luctaris flos virgo. Marcescis, si te calum non carpit, & marcescentem manu scilicet VIRGO abjicit. Ex Surio.

SS. GALATION ET EPISTEME

MM. 5. Novembris.

**N**Vlli aquae flores caelo arrident, ut animi virginis lilia, maxime quae ex thalamo surgunt, hoc utique pulchriora, quod rariora. Vides hodie tamen haec in GALATIONE & EPISTEME, quibus castissimum thalamum virginitas stravit, verecundia ornavit, mors defendit. Et GALATIONEM quidem matri sterili, si Christo adhereret, spondit Anachoreta, firmavitque pactum in somnis visus in cruce Christus. Liberata utrinque fides, & filio hereditatem parens uterque Fidem, sponsam vero EPISTEMEN reliquit formam singulari & omnibus virtutibus dotatam. Haec caelesti ostento, nec uno, instructa cum virginum beatos Choros esset intuita, facile virginitatem

tem etiam in conjugio coluit. GALATIONE exinde inter monachos abdito ipsa, inter virgines velatas vixit, abductaq; per visum cum marito in celestia palatia, iussaque coronam sperare, etiam ad sanguinem DEO litandum animum erexit. Etenim eunte ad tribunal impium GALATIONE, <sup>mariti</sup> passu virum mulier secuta, negavit rectè facere conjugem, si sine conjugee ad coronam aspiraret, quam nuper utriusq; calum promisisset. Et verò hanc non minus sponsæ quàm sponso deberi. Itaque cum, ut in lecto casto, ita etiam tormentis omnibus socia esset, post corpus virgis concisum, post infixas sub unguis spinas, linguâ primo & pedibus manibusq; pò t capite etiam sunt truncati, felicissimi conjuges & sine filiis morituri, nisi hoc, in quos omnia bona sparserant, pauperes negarent. *Ex Metaphr.*

S. MALACHIAS EP. 5. *Novembris.*

A Des turba literaria, & si placet, acuntem ad ludum puerulum MALACHIAM comitare. Vides ex viâ subsistentem, & passis brachiis identidem non Apollini sed Numini supplicem? O plures sic ad scholas itarent, ut plures inde Malachia redirent. Nunc unicum laudamus, qui Sacerdotio à Musis donatus sororem è piacularibus